



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Senonen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

Passaguerra causidicus tuus ad pedes nostros procidens, publicè in consistorio acclamaret: *Iustus es Domine, & reclam judicium tuum.* Ceterum cùm postmodum juxta tenorem pronunciationis nostræ, dilecto filio Abbatii de Scozula expensas restitui faceremus, licet frequentes oblocutiones & detractiones ejusdem P. frequenter dissimulassimus, tandem coram fratribus nostris proponere derrahendo præsumpsit quòd eum in pronunciatio- ne nostra injustè gravaremus, ac postmo- dum iniquitatem iniquitati ac præsum- ptionem præsumptioni apponens, à no- bis illicientiatus, immo post interdictum nostrum abscessit. Licet autem & pecca- tores simus, & nati de peccatoribus; illius tamen & vices agimus & locum te- nemus qui peccatum non fecit, nec in- ventus est dolus in ore ejus, qui habet in vestimento & in femore suo scriptum *Rex Regam, & Dominus dominantium*, qui dixit Apostolis: *Qui vos spernit, me sper- nit: & qui me spernit, spernit eum qui me misit.* Cùm ergo juxta canonicas sanctio- nes quædam sint culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam, ne quis hujus remeritatis exemplo præsumat ponere os in coelum, cùm ejus lingua transeat su- per terram; nos utique non nostram persequentes injuriam, sed zelum exer- centes ecclesiasticae disciplinæ, universa quæ idem P. pro se ac suis à sede aposto- lica impetravit, præsentium auctoritate cassamus; fraternitati tuæ per aposto- lica scripta mandantes, & sub obtenu- gratiæ nostræ districte præcipientes, quatenus ea cassata denuncies & carere prorsus robore firmitatis. Ad hæc, distri- ctè tibi præcipiendo mandamus, ut nisi dictus P. infra quindecim dies pòst sus- ceptionem præsentium satisfaciendi no- bis de tanto excessu in manu tua jurato- riā præstiterit cautionem, vel infra quindecim alios dies iter arriperit ad sedem apostolicam veniendi de tanto no- bis satisfacturus excessu, ex tunc eum singulis diebus Dominicis & festivis, pulsatim campanis, & candelis accensis, facias tam per civitatem Mediolanen. quæ per totam diocesim excommuni- catum publicè nunciari; taliter super hoc mandatum apostolicum impletu- rus, ne culpa ipsius in te possit merito re- torqueri. Datum Romæ apud S. Petrum Idibus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

ARCHIEPISCOPO SENONEN.

Apostolicæ sedis requirit auctoritas ut quæ confirmationis ipsius mu- nimine fulciuntur, firma debeat & illi- bata persistere, nec possint alicujus teme- ritate cassari. Vnde cùm venerabilis fra- ter noster Episcopus Carnoten. Presby- teros in sua diocepsi per Carnoten. Pissiacen. & Drocen. archidiaconatus consti- tutos ab omnibus violentiis, talleis, & exactionibus duxerit absolvendos, eis- dem concedens quòd in aliquem ipso- rum nullam præter juris ordinem suspen- sionis sententiam promulgaret, nec res alicujus occasione aliqua occuparet, nisi forte decederet intestatus, sicut tam in suo quæm tuo authentico perspeximus contineri, & nos, ut ab indebito illorum gravamine conquiescat, duxerimus con- firmandum; fraternitati tuæ per aposto- lica scripta mandamus quatenus idem factum, sicut ratione prævia est statutum, tam nostra quæm tua facias aucto- ritate servari; eundem Episcopum, sive alios, si qui forte contra confirmatio- nem nostram temerè duxerint venien- dum, per censuram ecclesiasticam mo- nitione præmissa, cessante appellatione, compescens. Datum Romæ apud sanctum Petrum xvij. Kalend. Maij, pon- tificatus nostri anno primo.

ARCHIEPISCOPO SENONEN.

Avdivimus quòd venerabilis frater noster Episcopus Carnoten. ita quandoque sequatur motum propriæ voluntatis, quòd cùm ad vacantes Ec- chlesiæ in sua diocepsi personæ idoneæ præsentantur, ipse, licet eis nihil de ju- re possit objicere, eas tamen instituere contradicit. Cùm ergo per te, qui ejus Metropolitanus existis, ipsius velimus suppleri defectum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si idem Episcopus personas idoneas à di- lecto filio Pissiacen. Archidiacono cano- nicæ præsentatas admittere post trinam commonitionem tuam factam diligenter eidem, malitiosè forte distulerit, tu no- stra fretus auctoritate, sublato appella- tionis obstaculo, eas instituere non omittas, ita tamen quòd nullum ex hoc Epi- scopo in posterum præjudicium generetur. Datum Romæ apud sanctum Pe- trum xviij. Kalend. Maij, pontificatus nostri anno primo.

Epi. 86.
Vt decreum
privilegij &
exemptionis
Cleri à talleis
& exactionibus
observeatur.

Vide supra Ep. 45.

Epi. 87.
Vt ipse illos in-
stituat quos
Carnotenis in-
stituere recula-
bat.